Bernardus de Arestor Urgellensis canonicus judex unicus subdelegatus a reverendo in Christo patre ac domino Petro divina miseratione quondam Urgellensi episcopo
judice unico a sede apostolica delegato. In causa que vertitur seu verti speratur inter venerabilem fratrem Bernardum de Miravallibus gerentem vices Castellani de
Emposta agentem ex una parte. et dominam Teresiam de Oreya. priorissam et conventum sororum et fratrum Monasterii de Sexena. ex altera deffenden
tes. Venerabili et dilecto in Christo. Officiali Ilerdensi. Salutem et mandatis apostolicis humiliter obedire. Noveritis nos auctoritate qua fungimur in hac parte. in
eandem priorissam tulisse excommunicationis sententiam. et monasterium eiusdem supposuisse ecclesiastico interdicto justicia exigente. Unde cum priorissa et conventus
eius predicti nostrum mandatum immo verius apostolicum parvipendentes huiusmodi sententiam dudum sustinuerint animo indurato nec curent mandatis apostolicis
nec nostris aliquatenus hobedire sua negligencia et contumacia perdurante. cum non possimus nec debeamus suam inobedienciam inultam conniventi
bus oculis pertransire. ad maximam instanciam fratris Petri de Area. procuratoris fratris Bernardi de Miravallibus terram totam dicte priorisse subiectam et mo
nasterio de Sexena supposuimus ecclesiastico interdicto justicia exigente. ut discat dicta priorissa et eius conventus quam grave sit mandatis apostolicis contraire
verum quia parum prodesset sententia nisi suum effectum debitum sortiretur. Mandamus vobis eadem auctoritate in virtute sancte obediencie et sub pena excom
municationis quam in vos primo monendo semel. secundo. et tercio. incurrere vos volumus nisi feceritis quod vobis mandamus. quatenus ex parte nostra faciatis de
nunciari predictam terram seu dicte priorisse et monasterii de Sexena subiectam ecclesiastico interdicto. in ecclesia katedrali civitatis Ilerdensis et in
aliis ecclesiis parrochialibus eiusdem civitatis et dyocesis que sunt predicto monasterio et sue terre convicine. singulis diebus dominicis et festivis tamdiu. donec
predicta priorissa pro se et dicto monasterio mereatur a nobis absolucionis beneficium obtinere. et insuper ex parte nostra iniungatis eciam rectoribus de Burgela
rotz. Campdasens. Ontinyena. Urgelet. Sena. et de Villanova. quod in predictis suis ecclesiis cessent penitus a divinis quousque dicta priorissa satisfecerit
de predictis. Datum in civitate sedis Urgellensis idibus aprilis. anno domini Millesimo. Ducentesimo. Nonogessimo. Tercio. Reddite litteram portitori
mandato nostro completo et in signum mandati completi sigillo vestro vel signo apponatis in eadem et aliis similiter suum apponi faciatis.

Mandato de subdelegado del pappa por el qual manda al official de leri-
es comulgue y ponga entredicho en las yglesias de los lugares del moneste-
rio de rueda attendido q̄ dichas monjas estan descomulgadas y no
obedecen los man^tos^ apostolicos. Dat en vigel en Abril año M CC
lxxxxiij

Arxena

Arxena

A-21-Arxena

15/3

1293-4-13

RT 446

GOBIERNO DE ARAGON